

MELETEMA PHILOSOPHICUM,

De

GENUINIS

VIRTUTUM

MOTIVIS,

Quod,

Consensu Ampliss. Ord. Philos.

in reg. Acad. Aboensi,

PRÆSIDE

Magnifico h. t. Rectore

Dn. ALGOTHO A.

SCARIN,

Histor. & Philos. Civ. Prof. Ord.

Pro honoribus Philosophicis

publica disquisitioni modeste exponet

NICOLAUS URSINUS

WIBURGENSIS,

die 3^{III}. Julii A. MDCCXLI,

horis ac loco solitis.

S. r. Königl. Majt. von Schweden
Hochbestallten Obersten über das Sina-
ländische Regiment zu Pferde
Dem Hochwohlgebornen Herren /
Hr. CHRISTOPHER
FREUDENFELDT,
Meinem Hohen Patrone.

Gnädiger Herr !

HERR! dessen ehrensahn der ganze
Norden schätzt ;
Den Pallas selber sich zu rühmen hat ver-
schworen ,
Weil **DEINE** thaten Mars in stahl und
marmor äht ,
Und **DICH** die ewigkeit zu ihrem Sohn
erhöhen
Mein herze, **WÄRTHER HEID!** ist
voll von reiner glut
In allen adern regt sich Ehrfurcht , volles
blut.
Drum leg ich dieses blatt zu **DEINEN**
füßen hin,
Den sehr unreiffen zweig, von meiner ju-
gend fruchten.
Was

Was ich in tiefster pflicht zu Ielsten schuld
Dig bin,
Das suche ich hierdurch in demuht zu ver-
richten,
Obschon mein weirauch schlecht und ganz
geringe ist,
So nimm ihn gnädig an, weil Du stets
gnädig bist.
So wünschich denn getrost: des Himmels
gnaden-strahl,
Fall tausendfach her ab auf DEZERN-Hei-
tel nieder;
Er segne FREUDEN-FEIDE mit
freuden ohne zahl!
Und komme nimmer leer zu Gottes throne
wieder;
Wenn ferner sich DEZERN Ruhm, bis an
die wolcken hebt,
Ist dessen wunsch erfüllt, der unterthän-
nigst lebt.

Ewv. Hochwohlgeb.

Demühtigster diener

NICOLAUS URSINUS.

Viro admod. rev. atque praclarissimo,
Dn. JOHANNI KYANDRO,
Ecclesiarum in Tohmajärvi & Pälkjärvi
Passori vigilantissimo, Praepositoque di-
strictus Careliensis adcuratissimo,
Patrono optimo.

Admodum rev. praclarissimisque,
D:nis MAGISTRIS,
Philosoph. Lectoribus & Adjuncto ad reg.
Gymnasium, quod Borgox floret, soler-
tissimis, Patronis, Promotoribusque suis o-
ptimis, certissimis.


Nec non

Viro percelebri,

Dn. PAULO HEINTZIO,
Legionis equestris ad Careliam Adjutori
pridem militari dexterrimo, Fautori at-
que avunculo suo pia mente venerando.

V*obis, Patroni, Promotores Fautoresque o-*
ptimi, hanc brevi admodum penicillo ela-
boratam opellam, ob cumulata in se beneficia
innurera, in mentis gratissimae pignus certissi-
imum, cum omnigenae felicitatis adprecaione
ardentissima, sacratam esse voluit,

Auctor & Respondens:



L. N. J.

INSTITUTUM.

Varia à variis *virtutum moti-
va* constitui solent, quo-
rum numerum inire, co-
rumve vel certitudinem
vel probabilitatem ad examen revo-
care, in presentia non vacat. In-
terim cum de motivis virtutum
genuinis paucissimis saltem agere
constituerimus, de eo præcipuè solia-
citi erimus, quomodo notionem vir-
tutis genuinam ante omnia eruere
queamus: deinde nonnulla ad sco-
pum nostrum facientia de virtute
in genere, quoque ad eandem sectan-
dam motivo præcipuè insistere oport-
eat, proferamus; & denique cum

intellectualium rum quoque moralium indolem, hominisque ad utramque perficiendam obligationem, pertransennam, quod dicitur, respiciamus. Abs TE vero, candide Lector, dum operæ atque labori nos accingimus, de conamine innoxio iudicium sine fastidio æquum atque benignum expetimus, quam si tute mihi receperis conditionē, ad bene sperandum signum minime dubium mihi sublatum existimabo.

§ I.

Virtus in moralibus definitur, quod sit habitus actiones suas per legem naturæ determinandi (a) vel, habitus actiones suas legi naturali conformiter dirigendi (b).

a). *Wolffius*, von der Menschen Thun und Lassen §. 64. (b.) *Thümmigius*, in *instir. philos. Wolf. Tom. 2. phil. pract. univ. §. 49.*

§ II.

Actiones hominis *liberæ*, de quibus hic duntaxat sermo est, quandoquidem ceterarum determinatio in
potest

potestate nostra non est, duplici-
ter considerari possunt. Nimirum
vel ut legi naturæ consentiant, vel
ut eidem contrariantur. Per facul-
tates hominis possibile est, ut actio-
nes liberas legi naturæ convenienter
efficiat; adeoque habet per essentiam
suam dispositionem quandam natu-
ralem actiones liberas legi naturæ
conformandi. Quippe si ponatur
homini absolute impossibile esse, ac-
tiones liberas legi naturæ confor-
mandi, erit per naturam suam de-
terminatus ad alterum oppositum,
consequenter libertas ipsi nulla erit,
neque legi naturali amplius erit
locus.

§. III.

Notum est, actiones hominis du-
plices esse: alias, quæ per es-
sentiam & naturam animæ atque
corporis determinantur, quæque *nec-
essitates* sive *necessariæ* appellantur: ali-
as vero, quæ salva hominis essentia,
in utramque partem determinari pos-
sunt, quæque idcirco *liberæ* vocantur.

Quem

Quemadmodum itaque in consensu
 facultatum & organorum *perfectio*
 hominis *essentialis* consistit; ita et-
 iam consensus actionum liberarum
 cum naturalibus *perfectioem acci-*
dentalem constituit; præsertim ubi
 præsupponuntur habitus intellectus
 & voluntatis, unde actiones liberæ
 naturalibus consentientes fluunt.
 Habitus hi reddunt facultates per-
 fectiores, eoqve mens ipsa quoqve
 in majus augetur atqve perficitur.
 Sed quoniam actiones hominis ad
 statum ipsius spectant, actionum li-
 berarum & naturalium consensus
 perfectionem status absoluit. Atqve
 hæc est ratio, cur lex naturæ ad hoc
 principium generale revocatur: a-
 ctiones ad perfectionem nostram
 tendentes esse committendas, quæ
 vero ad imperfectionem tendunt,
 esse omittendas.

§. IV.

Verum instituti nostri ratio exi-
 git, ut genus virtutis paucis
 hic contemplemur. Desinebatur

5

vireus per habitum, quo promptitudinem agendi significari omnibus notum est. Insunt homini *dispositiones naturales* ad agendum, quæ cum agendi potentiam vel possibilitatem, tum aliquid adhuc magis complectantur. Nimirum ut non solum actiones ejuscemodi facultatibus hominis haud repugnent, sed etiam per easdem elici queant, licet interdum non absque difficultate quadam & ceu renitentia. Per actiones crebro repetitas, homo facilitatem quandam agendi sibi comparat, ut jam sua sponte propè proveniant, & certo ordine sine deliberatione se invicem consequantur. Et in hac crebra actionum repetitione consistit exercitium, quo habitus comparatur.

§. V.

PRIUSQVAM vero ulterius progredimur, tenendum est, hæc ad omnē in genere habitum posse applicari, proinde quoque ad illum, qui virtutis nomine venit. Verum ut
res

res eo clarior evadat, sumamus exempli loco virtutes morales, consideremusque qualis habitus virtutum scilicet moralium esse debeat. Virtutes morales dicuntur habitus voluntatis. Quicumque igitur habitu gaudet objectum aliquod appetendi, is promptus est in appetendo (§. 4), consequenter semper idem appetit, quoties occasio datur, & difficulter ob eodem appetendo cohibetur. Est itaque propositum ipsius idem objectum appetendi constans, & voluntas eadem. Idcirco *habitus moralis*, qui per voluntatem constantem & perpetuam definitur, constans atque perpetuus erit. *Constans* nimirum, quia propositum illud firmum esse debet; *perpetuus* vero, quia illa propositi firmitas omni in casu adsit, necesse est.

§. VI.

Quemadmodum actiones hominis in genere duplices sunt, nimirum vel *naturales* sive *necessariae*, vel *liberae* (§. 3.); ita liberae itidem duplici modo considerari possunt (§. 3.).

Alia

Alia quippe mentem, corpus atque statum nostrum externum perficiunt; alia vero ad mentis, corporis statusque nostri externi imperfectiorem tendunt. Illud quod nos statumque nostrum perficit, *bonum* dicitur; quod autem statum nostrum, nosque ipsos imperfectiores reddit *malum* audit. Atque sic actiones *libera* vel bonae sunt vel etiam male. Sed quandoquidem actio alio vel alio modo determinari potest, ut sic perfectionem vel imperfectionem mentis, corporis atque status nostri externi necessario arguit; ideo actiones nonnullae per se sunt bonae, nonnullae per se male. Et in hoc intrinseca actionum liberarum *moralitas*, seu intrinseca earundem honestas atque turpitudine consistit.

S. VII.

Motivum dicitur ratio sufficiens ad actionem quandam committendam vel omittendam. Quum vero (per princ. psychol.) constet animam nihil appetere, nisi sub ratione

8
tione boni, neque quidquam aver-
sari, nisi sub ratione mali; repræ-
sentationes autem istæ boni atque
mali in appetendo, motivorum vi-
cem subeant: idcirco actiones per
se honestas, si illæ duntaxat distin-
cte à nobis cognoscantur, non pos-
sumus non appetere; per se vero
turpes non possumus non aversari.
Unde etiam manifestum evadit, quæ
nam actiones intrinsece sint bonæ
quænam intrinsece malæ. Scilicet *in-*
trinsece sunt bonæ, si ex iisdem ne-
cessario sequatur perfectio nostra,
sin vero imperfectio, erunt *intrinse-*
ce mala (§. 6.).

§. VIII.

CONJUNCTIO motivorū cum actio-
nibus, *obligatio* audit. Jam ve-
ro, quum lex naturalis non solum
urgeat, ut homo actiones ejusce-
modi, quæ ad perfectionem ipsius
promovendam vergunt, patret (§.
3.); sed etiam per facultates ejus-
dem possibile sit, ut actiones legi
naturæ conformet, adeoque per es-
sen-

9
sentiam suam dispositionem habeat
naturalem ad actiones Liberas legi
naturæ conformandum; (§ 2.); pa-
tet ergo omnes omnino homines
ad perfectionem suam promoven-
dam, quantum datur, esse obliga-
tos. Sed quæ homini, per faculta-
tes ipsius, possibile sunt, & quæ per
easdem elici possunt (§. 4.), eo-
rum rationes utique in hominum re-
rumque natura continentur. Quo-
rum verò rationes in hominum re-
rumque natura continentur, eorum
motiva in ipsa hominum rerumque
natura consistunt: unde denuo pa-
tet, ipsa hominum rerumque natu-
ra obligationem quandam esse con-
stitutam, quæ *obligatio naturalis* di-
ci solet: simulque dispalescit, per ip-
sam rerum naturam nos obligatos
esse ad actiones per se honestas per-
agendas, per se vero turpes fu-
giendas, h. e. ad peragendum eas,
quæ perfectionem promovent, fu-
giendum autem omnes, quæ imper-
fectionem arguunt.

§. IX.

Consensus actionum perfectionem parit (§. 3.). Virtute itaque præditus actiones suas per legem naturæ determinans (§. I.), in id unice incumbit, ut actiones ejus liberæ cum naturalibus, tum & omnes actiones liberæ inter se consentiant. consequenter illas tantummodo actiones committit, quæ ad perfectionem ipsius tendunt.

§. X.

Qui actiones ejusmodi, quæ ad perfectionem sui tendunt, committit, is gloriam DEI non solum illustrat, sed aliorum quoque perfectionem promovet. Quemadmodum enim actiones naturales suis gaudent finibus, siquidem illæ à sapientia DEI, qui nihil frustra agit, dependeant; ita quoque actiones liberæ suos habeant fines necesse est. Sed DEUS actiones naturales ultimum per gloriam determinavit suam, ut ex Theol. Nat. factis notum est. Quamobrem virtute præditus, consensum inter actiones ob-

11

observans (§. 9.), gloriam DEI illustrat. Virtute præditus etiam voluptatem ex perfectione aliena capit. Quippe si consensum actionū naturalium cum liberis inter se invicem observat (§. 9.), actiones æque ad aliorum, qui in communione sunt, ac sui ipsius perfectionem dirigere tenetur. Alioquin hæc istis contrariantur, id quod imperfectionē quandam prodit. Atque sic constare arbitror, quod virtuosus gloriam DEI tum maxime illustret, cum una secum, aliorum quoque perfectionem promovet.

§ XI.

QVoniam lex naturalis fundamentum suum proximum habet in ipsa hominum rerumque natura, hoc est, obligatione naturali (§. 8.); motivum vero obligationis naturalis consistit in intrinseca actionum honestate & turpitudine (§. 7. & 8.): idcirco, qui virtute præditus est, committit actiones legi naturæ convenientes ob internam
ca-

earundem bonitatem, omittit autem eidem minus convenientes, ob internam earundem malitiam.

§. XII.

Intuitus sive cognitio intuitiva perfectionis, vera genetrix est voluptatis. Quum itaque virtuosus actiones ad perfectionem sui ipsius non solum; verum ad gloriam DEI conditoris sui quoque, imo ad aliorum æque ac sui ipsius perfectionem dirigat (§. 9. & 10): igitur, hanc actionum suarum directionem intuens, non potest non summa perfundi voluptate. Et quandoquidem actiones legi naturæ convenientes ex habitu edit; proinde voluptas, quam ex illis percipit, prædominari in eo debet. Atque sic easdem cum gaudio, consequenter libere ac lubentissime agit.

§. XIII.

Praemium est bonum, quod cum actione quadam coniungit legislator, ceu motivum eandem peragendi; poena è contrario est malum, quod

73
quod cum actione quadam conjun-
git legislator, ceu motivum eandem
fugiendi. Virtute vero præditus,
quoniam actiones legi naturæ con-
venientes, non cum gaudio solum,
verum liberè quoque ac lubentissi-
me agit (§. 12.), non utitur præ-
miis & pœnis, ceu actionum sua-
rum motivis. Quippe qui actio-
nem quandam legi naturæ confor-
mem, vel spe præmii, vel etiam
metu pœnæ agit, is utique non
liberè sed coacte agit, & quamprimum
spes præmii metusque pœnæ eva-
nescit, mox in avia vitiorum ruit;
atque sic vera virtute minime est
præditus, quum desit conformitas
intrinsicæ, quam perinde atque ex-
ternam lex naturalis serio urget.

§. XIV.

EX hisce igitur jam constare arbi-
tror, quodnam virtutis in ge-
nere consideratæ motivum esse de-
beat. Scilicet quum virtus sit ha-
bitus actiones suas per legem na-
turæ determinandi (§. 1.); deter-
B minas

minatio autem actionū secundū legē naturæ, consistat in directione earundem, cū ad perfectionem sui ipsius, tum vero maxime ad gloriā DEI ac aliorum hominum felicitatem (§. 8. 9. & 10.), & legis naturalis fundamentum sit in obligatione naturali, cujus motiva ab intrinseca actionum honestate & turpitudine peti debent (§. 11.): patet ergo motivum virtutis in genere consideratæ nihil aliud esse, quam intrinsecam actionum honestatem & turpitudinem.

§. XV.

Evolvimus in antecedentibus notionem virtutis genuinam (§. 1. 2 3. 4. & 5.), egimusque de motivo ejusdem in genere consideratæ (§. 14.) instituti igitur nostri ratio exigit, ut cum virtutes intellectuales tum morales earumque motiva itidem paucis contemplerur. Sed antequam mentem propius hisce considerandis intendimus, necesse est, ut notiones earundem veras primum proferamus

mus. Nimirum virtutes *intellectuales* dicuntur habitus intellectus ad cognitionem veritatis & detectionē falsitatis directi. *morales* iterum appellantur habitus voluntatis legi naturæ convenientes.

§. XVI.

QVandoquidem in crebra actionum repetitione exercitium, quo habitus comparatur, consistit (§. 4.); virtutes vero intellectuales sunt habitus intellectus (§. 15.), ad quem perficiendum lex naturæ nos obligat (§. 3.): patet ergo neminem non ad ejuscemodi exercitia, quæ intellectum ad majorem evehunt perfectionem, adstringi. *Major* dicitur *intellectus*, qui ad plures res cognoscendas, respectu paucarum, extenditur; quique majorem admittit notionum distinctarum gradum. Unde fluit, quod intellectus majore perfectionis gradu, quantum in potestate nostra est, sit imbuendus; quodque opera sic danda, ut idem magis magisque distincta gaudeat cognitione.

con-

consequenter omnis ignorantia, quantum in nobis est, fugienda; in primis illa, quæ versatur circa bonum atque malum.

§. XVII.

Quoniam nemo non intellectum ad majorem perfectionis gradum evehere tenetur (§. 16.), & virtutes intellectuales, quarum in numero *acumen cum profunditate, intelligentia, scientia, soliditas, promptitudo inveniendi, cultura ingenii, sapientia, prudentia* & denique *ars* referuntur, intellectum perfectionem reddunt (§. 15); hinc ergo clarescit, ad easdem excolendas, neminem non obligari.

§. XVIII.

Quam vero necessaria sit intellectus virtutumque intellectualium perfectio ac cultura, vel inde manifestum evadit, quod sepositis illis, nec voluntas emendari, nec vera virtus dari queat. Quippe si ponatur intellectum non debere perfici, voluntas facile in appetendo, bonum apparens
VERO

vero præferre, & in determinandis actionibus ad gloriam DEI (ui aliorumque perfectionem, errare, & sic a vera virtutis via declinare potest (§. 9. & 10.). Præterea, si ignorantiam, quam evitare in nostra fuit potestate, non exuere studuerimus, conscientia in casu ignorantia vincibilis, dum evigilat, nos ipsa accusabit morsus & angores animo excitabit. Ad sunt ergo jam motiva intellectum, virtutesque intellectuales perficiendi, videlicet ut bonum a malo & malum à bono in dato quovis casu distinguere valeamus; & ut accusationes morsusque conscientia in casu ignorantia vincibilis evitare queamus (§. 16.).

§. XIX.

Notionem virtutum *moralium* jam dedit us, quod scilicet sint habitus voluntatis legi naturæ convenientes (§. 15.). Virtutes hæc per eminentiam quandam *virtutes* nuncupantur. Quamobrem ea etiam, quibus in antecedentibus virtutem in genere brevi admodum penicillo adumbr.

bravimus, ad hanc speciem præcipue
 possunt applicari. Sed differentia
 quædam inter virtutes hæc,
 ratione discrepantiæ objectorum ex-
 ternorum, quæ voluntatem movent,
 intercedit, unde etiam in diversas
 distinguntur species, diversisque in-
 signiri solent nominibus. Et quem-
 admodum ex data earundem notio-
 ne apparet, quod *essentia virtutis*
 consistat in convenientia ejusdem
 cum lege naturali; ita quoque, cum
 notum sit, quid sit legis naturalis,
 facile quoque in quavis actionum
 humanarum specie notum erit, quid
 sit *virtutis*.

§. XX.

Cuilibet notum est, auctorem
 legis naturalis ipsum esse DE-
 UM. Quum itaque *essentia virtutis*
 consistat in convenientia ejusdem
 cum lege naturali (§. 9.), & DE-
 US, seu auctor legis naturæ velit, ut
 juxta eandem actiones suas dirigat
 homo: igitur unusquisque horum
 omni *virtuti*, & perinde quoque *mo-
 rali* operam dare tenetur. Sed legi
 natu-

naturæ convenit, cum mentis corporisque perfectio, tum rerum externarum cura, quod ex ipso legis naturalis generali principio manat (§ 3.). Idcirco ipsi quam maxime in id incumbendum est, ut curam harum rerum circumspertam sollicitamque gerat. Qui autem cura harum rerum sollicita, scilicet ut mentem, corpus atque res suas externas perficiat, tangitur, is utique *summo bono*, quod in hac vita obtineri potest, gaudet, siquidem illud in perpetuo ad majores perfectiones progressu consistat: atque sic itidem clarescit, nos per studium virtutis summum obtinere bonum.

§. XXI.

Quoniam voluptas ex intuitu perfectionis oritur (§. 14.) atque summum bonum in perpetuo ad majores perfectiones progressu consistit (§. 20.): ideo summum hominis bonum cum perpetua conjunctum est voluptate. Sed voluptas perpetua sive constans *felicitas* dicitur: idcirco summum hominis bonum

num felicitatem ejusdem absolvit. Hinc ergo motivum virtutum moralium habemus satis jucundum, nimirum *felicitatem*, quæ etiam indivul-
sus earum est comes.

§ XXII

HÆc sunt illa virtutum motiva, de quibus in præfati nobis propositum fuit agere, quæ etiam infimi gradus possunt appellari. siquidem motiva virtutum quoque, cum ab attributis divinis divinaque voluntate, tum a veritatibus revelata quæ opus redemptionis concernunt, perire queant. Ast quum illa omnia prolixius attingere, nec facultates, nec temporis, quæ admodum præmor angustia, permittant: idcirco heic subsistere cogor, atque ex intimo cordis recessu voveo, dignetur **SUMMUM NUMEN**, ex immensa sua bonitate, veræ virtutis lucem veramque pietatem animis nostris instillare, & ad illam harmoniam, quæ est ceterarum rerum, hominum actiones quoque componere. Cui soli omnis boni *FONTI* sit gloria laus & honor sempiternus!